



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

1. Dies Aprilis. Aliis tempora desunt; alii temporibus supersunt. Valerius  
Maxim. l. 8. c. 7.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

& quidquid è cæteris amatur, ejus unius gratiâ ametur, qui solus omnibus amandi dat potestatem; qui unus amoris omnis est Auctor, & hæres, solusque sui amoris amatores, patitur cohæredes. Amantque sui amoris amatores, patitur cohæredes. Amandi ordinem suggeram, dum tradam methodum primo declinandi à malo, deinde faciendi bona, ut malus esse desinas, & bonus esse incipias, donec summo Bono à te possessio gaudeas. Amandi artem docebit te, qui unus in cœlesti Academia est Amoris didacticulus Spiritus Sanctus. Amandi facilitatem hauries ex frequenti amoris usu, & exercitio. Amoris fervorem mutuaberis à quotidiana summi Boni meditatione. Unum in hac Amoris palæstra cave, ne ullum amandi statuas terminum, nec desinas tuum amorem certis limitibus temporis, qui amoris æterno es conditus. Sic amore temporis, sceneraberis amorem æternitatis: sic nundinaberis amando ipsam amabilitatem, hoc est, Amorem omnium Amorum. Quotidianam Amori tuo annonam è cælo suppeditabit tibi quotidiana tessera; ut qui amoris es devotus, tibi perenne sit amandi non tantum desiderium, sed exercitium. Ne sis illi in redamando ingratus; à quo, ut possis amare, accepisti gratiam. Enimverò, est verum illud Poëtæ Pronuntiatum:

*Est amor ingratus: cum non sit amator amatus.*

## I. DIES APRILIS.

Aliis tempora defunt; alii temporibus supersunt. *Valerius Maxim. l. 8. c. 7.*

I. Eni-

Aprilis.

Tessera.

245

Cum hoc men- I.  
se germinant  
flores, esto flos  
campi.

**E**Nitêre hocce, quem Deo  
auspice ordiris, mense; sic u-  
taris illius tempore, ut sis ex  
numero potius illorum,  
quibus tempora defunt, quàm qui temporibus su-  
persunt: hoc est, sic utere tempora, ut nullum tibi  
effluat illius momentum sine meriti acquisiti sceno-  
re. Tempus de omnibus triumphat. Nihil est tam  
firmum, quod non vi temporis imminuatur: nihil  
tam sanum, quod non marcescat: Nihil tam soli-  
dum, quod non frangatur: nihil tam benè custodi-  
tum, quod non corrumpatur: nihil tam sincerum,  
quod non adulteretur. Denique tempus in omnia,  
& omnes dominatur, præterquam in æternitatem.  
Quidambigis, quin & in te, qui es spoliium, & in vi-  
tam tuam, quæ est ludibrium temporis, dominetur.  
Itaque tempus edax, imò vorax, ne dicam rerum o-  
mnium vorago, hoc mense tibi adimet triginta dies:  
forsan ante ultimum illius mensis diem, obibis diem  
extremum. Nunc igitur extremum adhibe conatum,  
ne hisce, quæ tibi Dei munificentiam indulgentur, tri-  
ginta diebus, vivas more Barbarorum in diem; sed  
ritu Christianorum in annos æternos. Sic mensis hu-  
jus tempus impende, ut in fine mensis, ita impensi  
temporis nec pudeat, nec pœniteat.

II. Hic mensis non est tibi datus ad otium, sed  
ad laborem: non ad pacem, sed ad bellum. Ne fru-  
strà sis: non potest otium ex otio nasci: nec voluptas  
ex voluptate gigni. Error hic est non modò stolidus,  
sed noxius. Laborandum est, ut quiescas: flendum,  
ut rideas: pugnandum, ut vincas: vincendum, ut  
coroneris. Mensis Aprilis dictus est ab aperto tem-

Q 3

pore:

pore: quia jam sinus terræ aperitur ut varios protrudat flores. Flos tui est symbolum: sed non quilibet flos. Audi loquentem Jesum Nazarenum, totum floridum: imò florem ipsum Naturæ, & Gratiæ: (a) *Ego flos campi.* Flores, quos ager effundit, non possunt effugere ventorum turbines, imbrium tempestates, cæli injurias, solis ardores, pecudum morsus, prætereunrium conculcationes. Vis talem florem videre, Christum intueri. Hunc dæmonum ac Judæorum implacabilis furor, tanquam immanis quædam tempestas invasit: hunc invidentium ardor, tanquam solis æstus, est conatus exurere: hunc iniquorum maledicta, quasi infestis sunt conata decerpere. Fuit igitur Flos campi: non horti, cujus aditus bestiis & amentis excluditur: non flos lectulo aspersus, qui suo è culmo recisus, nullum amplius à radice succum, quo sustentetur, accipiat.

III. Age verò, hic flos campi, ferarum moribus, tempestatum injuriis, viatorum pedibus expositus, quosnam comites circà se habet? num molles, num segnes, num timidos? nihil minùs, sed fortes, sed impigros, sed animosos. Ille strenua purpuratorum agmina ducit, instruit, hortatur, in armatorum hostium copias impellit. Ipse in sua palæstra imprimis edocet sudendo, algendo, laborando, plagas accipiendo, & pro iis gratias referendo, ad veræ laudis culmen eniti. Cæteri, qui labores detrectant, qui aciem, pulverem, solem, dum standum est in armis, effugiunt: nec Ducis sui exemplo acuuntur: perindè faciunt ac miles, dum somni nescius vigilat Imperator: dum aciem contra hostem educit, signa confert.

(a) *Cant. 2. 1.*

Aprilis.

Tessera.

247

fert, prælium init: ille nec imperium accipiat, nec ad arma confugiat, neque è tabernaculo prodeat: sed altiori somno oppressus, molliter in culcitra cubet, vel in herba stratus, otiosè recumbat, vel plumis insepultus oscitando stertat. Talis, si jure cum ipso agatur, non tantum non donabitur ut emeritus miles, donativo: sed mulctabitur ut infamis supplicio. Quapropter, dum cum Aprili aperitur terra, ut geminet flores: esto ut flos campi, non horti: injurias, quas perferas potiùs speres, quàm formides: mala, quæ patiaris, magis expetas, quàm horreas: adversa, quibus premaris, ambias, non fugias. Memor, maximum esse malum, non posse pati mala: certus, nihil esse malum, nisi quod te efficit malum. Semen tristitiæ; erit tibi seges lætitiæ. Si velis esse æquus arbiter; quos subis labores, debes interpretari esse Dei favores. Quo impensior fuerit, qui præcessit labor; eò suavior erit, quæ sequetur quies. Sic suffragio Poëtæ:

*Charitas est charum, si prægustatur amarum.*

## 2. DIES APRILIS.

Initium bonorum est abstinentia peccatorum. *Ambrosius enar. sup. Psal. 1.*

Initium I.  
boni, est  
recessus à  
malo.

Q

Uod docuit David, dicendo:  
(a) *Declina à malo, & fac bonum.* Et quod fecit Filius David, noster Emanuel, scilicet,

(b) *reprobare malum, & eligere bonum, hoc ut facias,*

Q 4

suadere

(a) *Pf. 36. 27.* (b) *Isa. 7. 15.*